

dicatur, quod in praesenti statu cum circumstantiis nunc passim occurrentibus, absque relatione ad finem extrinsecum, honestum est; sic hic et nunc abstinere a matrimonio contrahendo est per se honestum, non solum quatenus fit propter Deum, sed etiam ex propria ratione, quatenus non contrahere matrimonium per se hominem liberat multis rerum saecularium curis, et reddit magis expeditum ad functiones mentis, facitque similiorem spiritibus angelicis; et hac ratione est objectum virtutis castitatis. «Virginalis autem integritas, ait Augustinus (1), et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est; et in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio. Cedat huic omnis foecunditas carnis, etc.» 3.º Praesidia ad servandam castitatem sunt tria: a) Oratio, frequens sacramentorum usus, praesertim SS. Eucharistiae, quae est *frumentum electorum et vinum germinans virgines* (2), contra diaboli suggestiones. b) Jejunium contra redundantiam cibi et potus, sub quo possunt comprehendi quaelibet poenitentiae corporales flagellationis, ciliciorum, etc., ad rebellem carnem spiritui subjiciendam. c) Feminarum devitatio vel aliarum personarum, quarum aspectus et consuetudo ad venerem incitat. Ecclesiasticus ait (3): *Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* His adhibitis, non deerit donum continentiae in actu secundo, quo facili negotio castitas servetur.

28. V. *De vitiis oppositis his virtutibus.* 1.º Abstinenciae opponitur gula, quae sicut abstinencia est virtus, quae facit nos moderate appetere et uti cibo; ita gula est vitium in appetitione et usu delectationis cibi et potus debitum modum i. e. praescriptum rationis excedens. Excedit quinque modis, qui hoc versiculo continentur: «Praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose;» et explicat S. Gregorius (4): «Quinque modis nos gulae vitium tentat: aliquando nempe indigentiae tempora praevenit: aliquando lautiores cibos quaerit: aliquando quae sumenda sunt, accuratius praeparari appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit: aliquando in ipso aestu immensi desiderii aliquis peccat.» Quinque juxta eundem S. Doctorem (5) parit filias: a) In mente hebetudinem. b) In appetitu ineptam laetitiam. c) In ore stultiloquium et scurrilitatem. d) In corpore omnem immunditiam. Est igitur vitium capitale, tum quia radix aliorum vitiorum, tum quia multum trahit et rapit affectum

(1) De virgin. c. 13, n. 12.—(2) Zachar. IX, 17.—(3) XLII, 12, 13.—(4) Moral. L. 30, c. 27 (al. 18, n. 60).—(5) Ibid. L. 31, c. 31 (al. 45, n. 88).

hominis; primo quia versatur circa ea, quae sunt homini necessaria ad alendam vitam; secundo, quia magnam causat voluptatem. Hinc cibi causa plura sustinent et patiuntur homines, adeo ut totus fere labor humanae vitae ad cibum et potum referatur juxta illud Ecclesiastae (1). *Omnis labor hominis in ore ejus.*

2.º Sobrietati opponitur ebrietas, quae: a) definitur excessus in potando causa voluptatis, usque ad violentam usus rationis privationem. Causa voluptatis; si enim causa medicinae, ex praescripto medicorum sumeretur non esset ebrietas etiamsi ad mentem intercipiendam pertingeret: non enim tunc esset excessus respectu talis subjecti, et ad talem finem; neque causa delectationis gustus vel tactus sumeretur: unde non repugnaret temperantiae, quae circa tales delectationes versatur. b) Est magnum peccatum, ut constat Scriptura et Patribus. S. Augustinus (2) ait: «Qui contra coalumnam et amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera a nobis voce audiant; quia quicumque ebriosus poenitentiam pro ipsa ebrietate non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in aeternum profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum (3) dicens: *neque ebriosi regnum Dei possidebunt.*» Confirm. ratione: quia se inebrians privat se violente, non solum usu rationis, sed etiam potestate propinqua utendi voluptatis causa; unde propter voluptatem se ad brutorum abjicit stoliditatem; hoc autem censetur maximum malum et gravis inordinatio, quia praecipuum bonum hominis, et quo a brutis distinguitur est posse uti ratione, et sua omnia hac regula dirigere. «Qua in re, interrogat S. Basilius (4), dic homo miser, a brutis differs? nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditore accepisti, reliquae creaturae factus dominus et imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes numerari poteris, et illis similis videri.» S. Joann. Chrysost. (5): «animantes, quae rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis, etiamsi mille homines cogere, nunquam elabuntur; peiores igitur irrationalibus vos estis, qui inebriamini.» c) Ejus pessimi et multum lugendi effectus sunt: a) facultates reifamiliaris exhaurire, liberorum neglectus, creditorum fraudatio, jurgia, latrocinia, etc. b) Reddere corpus foedum et morbosum usque ad apoplexiam et paralysim membrorum. c) Reddere hominem totaliter inutilem, non solum ad opera pietatis; sed etiam ad studia litterarum et ad omnem vitae usum. d) Facere hominem similem

(1) VI, 7.—(2) Serm. 231, de tempor. (al. 294, in append.) n. 6.—(3) I.ª Cor. VI, 10.—(4) Homil. de ebriet., n. 3.—(5) Homil. 58 (al. 57) in Matthee.

et pejorem bestiis ut vidimus. ε) Secreta prodire, ut constat ex Proverb. (1). *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* ζ) Deducere hominem ad mores absurdos et gravia crimina, ita ut S. Basilus (2) dicat: «Ebrietas daemon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperate lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit, etc.» η) Esse tandem difficilis curationis, ut vivide expressit Basilus (l. c.): «Hujus mali finis est nullus: ipsum namque merum inexplebile continuo sitim addit; nec necessarium quaerit usum, sed ad alium irrefragabiliter potum invitat, cum ardentis ebrios et semper bibendi cupidiores reddit (3).

3.º Castitati opponitur luxuria, quae a luxu dicitur et generatim significat omnem excessum non solum in re venerea; sed etiam in vestitu, epulis, unctionibus, et similibus deliciis. Stricte autem pro excessu in re venerea sumitur: nam luxuriosus dicitur quasi luxatus et solutus in voluptates; maxime autem animum hominis dissolvunt voluptates venereae (4).

29. Dico V. Luxuria est per se peccatum mortale et praeterea capitale.

1.ª Pars. Prob. 1.º Expressa Pauli sententiã (5): *Nolite errare, neque fornicarii... neque molles... regnum Dei possidebunt.* Et ad Galatas (6): *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... ebrietates, comessiones et his similia; quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ubi ex operum atrocitate arguit damnationem.

2.º Ex damnatione contrariae sententiae. Clemens V cum concil. Viennensi inter errores Beguardorum et Beguinarum recensuit: «Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet est mortale peccatum; actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.» Innocentius XI damnavit inter alias, propositionem 48. «Tam

(1) XXXI, 4.—(2) Homil. de ebriet., n. 2.—(3) Difficultatem et medendi modum tradit Augustinus (serm. 231): «Qui se hoc malo desiderat liberare, quo modo sibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat; qui si simul totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti ceperit exardescere, cum grandi amaritudine clamet et dicat, malle se mori, quam sibi bibendi et inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit quod tolerabilius erat illi carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ardorem nimium patiatur, et de tam gravi malo liberetur, per intervalla dierum, sicut diximus, aliquid de nimietate potus subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat.»—(4) D. Thom. 2, 2, Q. 163.—(5) I.ª Cor. VI, 9, 10.—(6) V, 19-21.

clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.» 49: «Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.»

3.º Ratione: usus rei venerae ex natura sua est opus necessarium ad naturam propagandam et perpetuandam, sicut usus ciborum ad conservandum individuum; nam ut inquit Augustinus (1): «Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis;» ergo hic usus censetur res gravis et magni momenti in rebus humanis; ergo inordinatio in hoc usu est in re gravi, ac proinde ex genere suo mortifera. Deinde: «Peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quae vergit in nocendum vitae ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus.» Ergo... *Min. prob.* «Manifestum est quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instituendus et defendendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quod utatur vago concubitu; sed oportet quod sit maris ad determinatam feminam cum qua permaneat non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam.» Et inde est quod naturaliter inest maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Haec autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Haec autem determinatio certae feminae matrimonium vocatur: et ideo dicitur esse de jure naturali... (2). Unde cum fornicatio sit concubitus vagus, utpote praeter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandae: et ideo est peccatum mortale. Nec obstat si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat de prolis educatione; quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, et non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere (3).» Pariter simplex mollities bono totius generis humani repugnat per hoc, quod disperdatur id, quod est ordinatum ad hominis generationem; et si ea liceret, pauci onera matrimonii subirent, et multi in effraenatas libidines totius effunderentur: quod quantum esset toti generi humano exitiosum et perniciosum ipsa res clamat.

4.º Ex effectibus seu filiabus luxuriae, quas ex auctoritate S. Gregorii ita exponit Angelicus (4): «Per vitium lu-

(1) De bon. conjug. c. 6.—(2) Vid. vol. III, Disq. VIII, Thes. II, Thes. XVII, nn. 130-132.—(3) Ita S. Thom. 2, 2, Q. 154, a. 2.—(4) 2, 2, Q. 153, a. 5 in 6 et ad 4.

»xuriae maxime appetitus inferior... vehementer intendit suo ob-
 »jecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis et de-
 »lectationis. Et ideo consequens est quod per luxuriam maxime
 »superiores vires deordinentur, scilicet ratio et voluntas. Sunt
 »autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem simplex
 »intelligentia, quae apprehendit aliquem finem ut bonum; et hic
 »actus impeditur per luxuriam, secundum illud (1): *Species deceptit*
 »*te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Et quantum ad hoc poni-
 »tur *caecitas mentis.* Secundus actus est consilium de his, quae
 »sunt agenda propter finem: et hic etiam impeditur per concu-
 »piscenciam luxuriae... Et quantum ad hoc ponitur *praecipitatio,*
 »quae importat subtractionem consilii. Tertius actus est iudicium
 »de agendis: et hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim (2)
 »de senibus luxuriosis: *Averterunt sensum suum... ut non recorda-*
 »*rentur iudiciorum justorum.* Et quantum ad hoc ponitur *inconsi-*
 »*deratio.* Quartus autem actus est praeceptum rationis de agendo,
 »qui etiam impeditur per luxuriam, inquantum scilicet homo im-
 »peditur ex impetu concupiscentiae, ne exequatur id, quod decrevit
 »esse faciendum. Et quantum ad hoc ponitur *inconstantia...* Ex
 »parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus:
 »quorum unus est appetitus finis: et quantum ad hoc ponitur *amor*
 »*sui,* quantum scilicet ad delectationem quam inordinate appetit,
 »et per oppositum ponitur *odium Dei,* inquantum scilicet prohibet
 »delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum, quae
 »sunt ad finem, et quantum ad hoc ponitur: *affectus praesentis sae-*
 »*culi;* in quo scilicet aliquis vult frui voluptate; et per oppositum
 »ponitur *desperatio futuri saeculi,* quia dum nimis detinetur car-
 »nalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed
 »fastidit eas.» Ab Isidoro (3) adduntur «quidam inordinati
 »actus exteriores, et praecipue ad loquutionem pertinentes... Uno
 »modo propter materiam; et sic ponuntur *turpiloquia...* Secundo ex
 »parte causae: quia enim luxuria inconsiderationem et praecipita-
 »tionem causat, consequens est quod faciat prorumpere in verba
 »leviter et inconsiderate dicta, quae dicuntur *scurrilia.* Tertio quan-
 »tum ad finem: quia enim luxuriosus delectationem quaerit, verba
 »sua ad delectationem ordinat; et sic prorumpit in verba *ludicra.*
 »Quarto quantum ad sententiam verborum, quam pervertit luxuria
 »propter caecitatem mentis, quam causat; et sic prorumpit in *stul-*
 »*tiloquia,* utpote cum suis verbis praefert delectationes, quas appe-
 »tit, quibuscumque aliis rebus.»

II.^a Pars. Quod sit peccatum capitale constat, quia ex ea tam-

(1) Dan. XIII, 56.—(2) Ibid. 9.—(3) In Deuter. c. 16.

quam ex fonte, plura alia vitia manant; nam ex affectu delectatio-
 nis venereae homo multa alia peccata facit; vel certe sinit se in illa
 incidere, ut cum prae verecundia turpia confitendi aut proposito
 non se emendandi multiplicat sacrilegia, et fit ut ait Paulus (1):
reus corporis et sanguinis Domini... iudicium sibi manducat et bibit,
non dijudicans corpus Domini.

Dico VI. Tam grave est luxuriae peccatum, ut delectatio venerea, deliberate quaesita nunquam excuset a mortali ratione parvitatis materiae.

Nota. Distinguitur delectatio venerea seu sensualis a delectatione mere sensibili, quod illa sentitur in carne cum commotione spirituum subservientium generationi. At delectatio sensibilis est illa, qua solum placet tactus, vel visus proprii corporis, vel alieni, absque ulla libidine, ob proportionem et connaturalitatem cum organo tactus vel visus, ut quando tangitur res blanda v. g. felis, holosericum, etc., vel videtur res pulchra, ut pulcher equus, pratum, quae naturaliter delectant, vel quando mater osculatur infantem suum, etc. Porro delectatio ista tactiva ut tactiva, seu sensitiva, procul dubio culpâ vacat si non ordinatur ad malum finem, et non exponat hominem periculo delectationis carnalis, aut consensus in eam si praeter intentionem oriatur.

Prob. Quia: a) quaelibet delectatio venerea est quaedam inchoata pollutio, et b) ob lubricitatem naturae numquam est sine periculo labendi in consensum ulteriorem, ac demum c) quia delectatio ista, quamvis modica, est quaedam complacentia de ipsa copula, ad quam naturâ sua ordinatur; ut proinde solum possit esse venialis ex actus indeliberatione, et inadvertentia; quare d) sicut delectatio quamvis modica de homicidio, de fornicatione, de furto, si sit deliberata continet in omnium sententia culpam lethalem, ita etiam delectatio venerea, quamvis modica si sit deliberate quaesita, quippe quae est delectatio de ipsa fornicatione, ad quam immediate disponit et incitat naturâ sua. Confirm. Quoties integra malitia objecti reperitur tam in re parva, quam in re magna, tunc peccatum eam malitiam imbibens non potest esse veniale ex parvitate materiae, sed solum ex indeliberatione consensus, aut ex inadvertentia: atqui in delectatione venerea reperitur tota malitia impudicitiae, sive ea delectatio parva sit, sive magna; non secus ac in delectatione morosa, sive duret per instans, sive per horam: ergo non datur in istis materiae parvitas. *Min.* prob. Quia omnis delectatio venerea ex natura operis, atque adeo saltem virtualiter ex natura etiam operantis, ordinatur ad seminis emissionem, extra

(1) I.^a Cor. XI, 27, 29.

actum conjugalem graviter illicitam; et consequenter ipsa etiam ex suo fine intrinseco est graviter illicita: cum enim naturâ sua sit medium ad aliquid intrinsece malum, non potest esse deliberate volita, quin virtualiter etiam et implicite intendatur id, ad quod per se ordinatur; quare quaelibet delectatio venerea, quamvis modicissima, deliberate quaesita continet culpam lethalem (1). Hinc licet osculum libidinosum communiter secum ferat gravem delectationem carnalem, damnata est simpliciter ab Alexandro VII Propositio 40: «Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale »osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensualem, quae »ex osculo oritur secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis (2).»

4.° Species luxuriae sex recensentur: fornicatio, adulterium, cui adnectit D. Thomas concubitus sacrilegum, incestus, stuprum, raptus et vitium contra naturam, de quibus videas auctores theologiae moralis.

VI. Dictis in scholio III de partibus potentialibus temperantiae juxta ea, quae tradit D. Thomas (3), breviter addendum venit: 1.° Partibus modestiae adnumerari. Studiositatem, quae moderatur ad normam rationis appetitum sciendi; Eutrapeliam, quae medium virtutis servat in conversationibus et ludis.

2.° Vitia his virtutibus potentialibus opposita esse: a) Continentiae, incontinentiam quando passio praesertim venerea, usu rationis manente, rationem vincit et contemnit. b) Mansuetudini, iracundiam, quae cito exardescit, generat animi amaritudinem diu aliquando perdurantem, nec satiatur ejus ulciscendi desiderium, nisi vindictâ realem vel putatam injuriam propulset. Inde rixae, mentis elationes, contu-

(1) Ex P. Viva. Thes. damn. ab Alexandro VII, thes. XL.—
(2) A. R. P. Claudius Aquaviva Praepositus Generalis Societatis Jesu praecepit in virtute S. obedientiae et sub poena excommunicationis: «Ne ullus e »Societate publice, aut privatim, non modo ut veram, vel probabilem, sed nec ut »tolerabilem quidem doctrinam ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut »secundum illam consilium cuiquam det, scilicet in re venerea exiguam aliquam »delectationem deliberate quaesitam propter levitatem materiae excusari a peccato mortali.» Hoc praeceptum deinde Congregatio IX generalis, decreto 24.°, confirmavit. Auctores huic sententiae contrarie opinantes vide apud Sanchez De Matrim. L. 9, D. 46, nn. 6-9 ubi quamvis fateatur sententiam de parvitate materiae in re venerea sibi aliquando placuisse, attamen (n. 9) sententiam communissimam propugnat: complacentiam illam et sententiam laxam plene retractat in op. mor. in praec. decalogi L. 5, c. 6, n. 12; quare non satis recte exponitur ejus sententia apud S. Ligorium L. 3, n. 415. Confer. etiam Diana P. 7, tract. 11, res. 28.—(3) 2, 2, QQ. 155-170.

meliae, indignationes, blasphemiae, clamores, etc., quare ira merito inter peccata capitalia recensetur. c) Clementiae, quae dat modum rationis circa poenas externas eas rationabiliter mitigando, per excessum crudelitatem, quae est quaedam animi atrocitas et complacentia in poenis debitis ultra modum exigendis; per defectum lenitatem, quae inconsulte poenam mitigat, vel omnino remittit, etiam cum bonum delinquentis et exemplum aliorum aliud requirit; vitium non minus Reipublicae perniciosum quam crudelitas. Inde enim criminosi, et perturbatores pacis publicae invalescunt: vulgo tamen clementia vocatur, cum potius sit crudelitas in Rempublicam quam clementia in privatos. d) Humilitati per excessum superbiam, quae est appetitus perverse excellendi: est superbia peccatum capitale, origo omnium aliorum (1) et generale; quia omne peccatum tacitam quamdam superbiam continet ipso opere; magna enim est praesumptio audere Deum offendere, et veluti contra se lacessere, non timere fulmen maledictionis aeternae, non curare praesentem majestatem; unde omne peccatum est quidam Dei contemptus ad minus interpretativus. Per defectum inordinatam sui abjectionem: nam ita quis debet abjici, ut non redundet in injuriam status, vel officii quod geritur, vel talenti, quod a Deo, ut ei serviat, datum est, aut in eorum damnum et incommodum quibus aliquis prodesse potest vel debet. e) Modestiae, quae juxta Ambrosium (2) dat «pulchritudinem vivendi.» cum docet: «convenientia cuique sexui et personae reddere.» per excessum petulantiam vel insolentiam, si externi motus vel gestus communem modum excedant; mollitiem exteriorem, si quis alienum modum sibi non congruentem assumat, v. g. religiosus mores aulicos: quo etiam pertinet mollities quaedam in voce, gressu et gestibus: hypocrisim, si ficto animo modus aliquis assumitur. Per defectum rusticitatem, quae consistit in quadam morum ruditate, qua ad communem exterius agendi modum non pervenitur. f) Studiositati per excessum curiositatem, per defectum negligentiam. g) Eutrapeliae, per defectum duritiem seu austeritatem quamdam animi, ut cum quis eget animi relaxatione et non vult admittere, vel aliis sua austeritate molestus est, honestos eorum ludos et jocos non admittens. Per excessum scurrilitatem animi, si quis ad ludendum utitur illicitis verbis vel factis; si ludat vel temporibus, vel in locis indebitis, aut etiam

(1) Vid. Disq. I, Thes. XXXII; Disq. II, Thes. XIII, Schol.—(2) De offic. L. 1, c. 19.

praeter convenientiam negotii seu personae. «Caveamus, monet »S. Ambrosius (1), ne dum relaxare animum cupimus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.»

His de virtutibus cardinalibus in genere, et speciatim de virtutibus prudentiae, fortitudinis et temperantiae ex D. Thomae cum Lessio (2) breviter excerptis, ne ipsa multitudo virtutum et vitiorum eis oppositorum, ne multiplices inde actuum humanorum bonorum et malorum species, vel ab ipsis fundamentis theologiae candidatum laterent; gradum facimus ad praecipuas quaestiones de jure et justitia nec non de religione, quarum scholastica inquisitio propter frequentiore earum usum, majorem difficultatem et dignitatem, non visa est praetermittenda. Reliqua hic omissa, pro necessitate et opportunitate, semper ingenti utilitate legantur apud D. Thomam, qui in locis citatis 2.^a 2.^{ae} omnia ad virtutes et vitia spectantia uberrime pertractat.

CAPUT I.

De jure et justitia.

ARTICULUS I.

De natura juris et justitiae.

30. **Praenotandum.** Juris nomen, quod alii a jubendo, alii a justitia et justo derivant, est juxta Toletum (3) nomen primitivum primo significans rerum aequalitatem, ut inde dicatur *justum*, quod habet talem aequalitatem: *justus*, qui eam aequalitatem facit; *justitia*, virtus ad illam aequalitatem inclinans; *judex*, tandem qui illam dicit vel declarat. Jus varie accipitur: 1.^o Late prout potest significare quidquid est honestum ac legitimum; ita omnes virtuosus justus vocantur. 2.^o Pro justo stricte i. e. pro commenso et adaequato juri alterius. 3.^o Pro lege quae est regula justus. Sic est quoddam praeceptum permanens ad bonum commune auctoritate legitima latum et promulgatum. Dividitur in naturale, gentium et positivum. Jus naturale simpliciter dictum, est quod una cum natura rationali nobis est congenitum. Jus positivum sunt leges, quae non necessario naturae congenitae sunt, sed

(1) L. 1 de offic. c. 20, n. 85.—(2) De just. et jur. LL. 1, 3, 4.—(3) In 2, 2, Q. 57.

libere a legislatore quocumque, potestatem habente positae. Jus gentium est, quod receptum est ab omnibus gentibus; vel ut alii dicunt fere ab omnibus gentibus; quia aliquae gentes tam barbarae sunt, ut leges juris gentium dictas non videantur agnoscere. Jus positivum est divinum et humanum. Divinum est quod est a Deo conditum. Jus humanum autem, quod ab homine statutum est: et quidem si est a laico statutum dicitur civile: si vero a Pontificibus vel conciliis, dicitur canonicum. Haec duo jura etiam differunt ex fine: nam jus civile intendit per se salutem civium temporalem, jus canonicum autem dirigit proxime ad cultum divinum et ultimo ad aeternam fidelium beatitudinem. 4.^o Jus dicitur etiam scientia legum; hoc sensu vocantur quidam juris studiosi, doctores, professores juris, etc.; ipsa autem Jurisprudencia dicitur ars aequi et boni. 5.^o Jus significat aliquando locum judicii, sic dicitur quis in jus vocari. 6.^o Sumitur pro sententia judicis, qui dicitur jus dicere.

Jus stricte sumptum supponit in eo, qui habet jus, legitimam facultatem ad aliquid vel agendum, vel omittendum, vel ab alio exigendum; vocatur haec facultas *jus activum*: in eo autem, qui debet reddere vel non impedire jus alterius parit obligationem, quae dicitur *jus passivum formale*, ut distinguatur a *jure passivo objectivo*, quod est ipsa res seu objectum juris v. g. pretium in venditione, quod venditor potest exigere, et emptor debet solvere. Jus activum aliud est in re, aliud ad rem. Jus *in re*, obligat ipsam rem jus habenti, ac proinde parit actionem realem. Jus *ad rem* obligat personam ac proinde parit actionem personalem. Actio est jus prosequendi in judicio quod sibi debetur. Dividitur: a) in realem seu in rem quae dicitur vindicatio, et est quae immediate in rem tendit eique adhaeret; b) In personalem quae immediate tendit in personam, quam ex contractu vel alia ratione obligatam supponit ad rem aliquam tradendam, vel ad quidpiam praestandum. Declaratur exemplo: in equum a te emptum et a venditore traditum, habes actionem realem: in equum a te emptum, sed a venditore non traditum immo alii bonae fidei venditum et traditum, nullam habes actionem, sed habes actionem personalem in venditorem, ut te indemnem reddat (1). Non omnes eodem modo jus activum definiunt, nos cum Lessio (2) et Molina (3) dicimus:

(1) Platelli, De justitia, n. 509.—(2) De just. et jur. l. 2, c. 2, n. 1.—(3) De just. vol. 1, Tract. 2, D. 1.